

*Doc. 37 (Scriptum est iustitiario
Basilicate fideli suo...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 37 (Scriptum est iustitiario
Basilicate fideli suo...)*

1301-11-10

Scriptum est iustitiario Basilicate fideli suo etc.

Ex concessione clare memorie domini patris nostri, dudum Otho de Tuciano miles consanguineus noster, inter cetera munificentia sibi principali concessa, casale asprum situm in iurisdictione tua cum iuribus tenimentis et pertinentiis suis pacifice tenuit et possedit, subsequenter post obitum Othonis predicti, casale ipso cum eisdem iuribus et pertinentiis nobili mulieri Philippe, comitisse Albe eiusdem Othonis coniugi, ratione dodarii per eundem Othonem sibi constituti legitime per quondam Philippum de Tuciaco communem genitam de licentia et assensu nostro rationabiliter assignato, de hiis non est opus inquirere cum plene nostra curia sit instructa, dum autem comitissa iamdicta casale ipsum cum iuribus et pertinentiis suis ex predicta causa teneret, sicut facta nobis expositio continet, olim Iohannes de Monteforti regni Sicilie camerarius, cui custodia palatii defense seu foreste Lacuspensilis per nos specialiter commissa fuerit, eandem comitissam non vocatam aut monitam vel ex more citatam certa parte tenimenti casalis eiusdem absque ordine iuris destituit, et partem dicte defense seu foreste Lacuspensilis, sicut sibi placuit, agregavit, nec attento per ipsum comitem inter cetera in destitutione ipsa improvise, pensata, quod tenimentum casalis ipsius ex vigore inquisitionis per officiales regie curie dudum facte divisum et distinctum fuerat ac per lapideos terminos, sicut vulgariter habet regionis locutio, titulatum terminis seu titulis ipsis ad hoc affisis astantibus, divisionem et terminationem ipsam cum confusionis involucro et destitutionis iniuria ex abrupto dirrupit, cumque casale predictum cum iuribus et pertinentiis suis ad Iohannem Pipinum de Barolo

militem, magne curie nostre magistrum rationalem, domesticum familiarem nostrum de novo pervenerit, ex causa permutationis legitima cum dicta comitissa de nostro assensu et licentia celebrate, supplicavit nobis predictus Iohannes ut providere circa hoc sibi tam benigne quam iuste nostre auctoritatis presidium dignaretur. Nos igitur violentas destitutiones huiusmodi, que paraverunt in regno nostro Sicilie turbulenta discrimina, vehementius abhorrentes, licet ipse non iuris rei sit in hac parte successor, fidelitati tue de certa nostra scientia committimus et mandamus, quatenus procuratore et avvocato fisci nostri per te constitutis legitime, qui circa hoc iura nostre curie tueantur, de premissis diligenter inquiras, et si rem inveneris ita esse, dictam partem tenimenti memorati casalis, per eundem Iohannem de Monteforti defense seu foreste Lacuspensilis agregatam, territorio et tenimento dicti casalis reintegres, ac ipsi Iohanni Pipino pro se et suis heredibus restituas et resignes, servatis et servari faciens divisionem et terminationem iam dictas per officiales regie curie de tenimento iamdicti casalis habitam et distinctam, et ad cautelam fieri facias de inquisitione reintegratione restitutione et resignatione predictis tria puplica consimilia instrumenta. Quorum unum tibi retineas tempore tui rationarii producendum, aliud procuratori dicti Iohannis assignes et tertium mittes ad cameram in archivio nostre curie conservandum.

Datum Neapoli per Bartholomeum de Capua etc. die XXVI iunii XIV indictionis (1901).